tionem ad quam me necessitas impulit in deteriorem partē interpretari debetis
quū scialis in ista re incipienda consilium fuisse honorare veterem amicum ho-
nesta functione non onerare. Multi aliogui sese ultro offerentibus magis erudi-
tis magis accommodis qui pro magno beneficio ducat tam honestū inter huma-
nissimos viros in libera civitate locum adipisci. Imo vero te imprimis Gerarde
vir optime per tuā syncerū erga me amorem ante multos annos perspectum obtes-
tor, ut respectu meae imbecillitatis et angustiarū ex quibus eluctari non possum, ea
facias in hac re et perficias quaecunq pro amico consternato fidelis amicus cōmitti
potest, iuxta id quod olim non temere dictum est: Amicum certum in re incerta
cerni. Vale. [10. Juli 1559]

A Hieronymo Commelin Emda.

Pax DEI per Jesum Christum

Nuper cum huc ad nos venisset Johannes van Swolle cui datum fuerat negotiū
ut Antoniū vobis reduceret, ex tuo iussu paravimus ea quibus erat puero opus
ad profectionem. Johannem deinde subsequutus Nicolaus Gardinius vetuit ne
Johanni puerū iungeremus. Se si opus esset in reditu assumpturū eū affirmās. Cū
autem inter alios sermones astantibus pueris vestris dixisset Nicolaus mirari se quare
a studio Antonius abduceretur, atq ego causas a me ipso vobis scriptas ei declaras-
sem (nempe morbū, et oculorum imbecillitate) respondere coepit Antonius, mor-
bo se prorsus beneficio DEI liberatū esse, oculorū vitiū non obstare sibi ad disce-
dum, nisi si quando a prandio multa accuratè scribat, tunc enim destulat humo-
res in frontem et in oculos, unde videndi imbecillitas nasci solet. Post illud col-
loquiū digresso Nicolao paucis diebus Antonius honestam orationem meditatus
ad me venit obnixè contendens ut sibi in hac re apud reverendū patrem suū ad-
iutor essem, ut liceret vel totā aetatem, vel certe adhuc annos aliquot in studio
literarū collocare. Quid facerem? Scripserā in meis ad te literis me probare
tuum consiliū in puero revocando et properandū ipse vobis author fueram eius
revocandi, nec tamen excludere tam iustam pueri petitionē ausus sum (praeser-
tim cū pauci sint pueri qui sic sua voluntate ad discendū inclinent) promisi
me de ea re acturum cum amico ~~meo~~ nostro Nicolao Gardinio simulatqz
huc redisset, feci, placuit eidem consilij nostri mutatio, recepitq rem omnē
in sese quam nos sane illi tanto alacrius commisimus, et quod sciremus ipsū
multum apud te valere, et quod de tua erga nos benevolentia nihil dubita-
remus. Puer ipse interea confirmatur a Domino, tam sanus per oīa quā
pisces, et ad studium tam fervens, quam quisq in ea aetate esse possit. Desi-
deramus tamen tuas literas, tum ut tua authoritas nobis animū addat, tū etiā
ut me tuo salubri consilio adiuves in ijs quae scripserā de mea migratione. Nā
postq satis praecipiti deliberatione (sicut in aerumnis fieri solet) meam fidē Cli-
viensibus astrixi, neq me propter domestica impedimenta, et propter honorū
filios de me pendentes, expedire possum nisi cū summa difficultate ac dispendio
maximo. Vix credas mi frater quantis in angustijs meum miserū cor ultro ci-
troq iactetur. Intempestiviter sane id accidit mihi in acerbissimo luctu cha-
rissimae coniugis, nisi mea spte culpa accidisset. Dissimulante nimirū Domino
ut (quod proverbio dicitur) Clavus clavo pelleretur. Sed iam nimis prolixe
praesertim apud virum cordatum imprimis, et serijs de Ecclesia curis distentum.

Pueri

Nr. 40)
[= Mscr. a. 11: Nr. 179]
auctor
autoritas

Pueri omnes valent bellissime. scribunt nunc sua themata, post paucos dies fa-
ciam, ut dent literas ad cognatu suum Genevensem. Vale, Cum pijssi-
ma simul et suavissima coniuge. Cum fratribus et sororibus quicunque fidem
colunt cu pietate. Brema. 19. July 1.5.5.9.

Johannes Molanus.

D. Gerardo Mercatori. Duysburgi.

Nr. 41)
[=Hanzen a. 11, Nr. 180]

Post reversum isthinc nautam qui tuas postremas attulit Gerarde frater dilecte. D. Petrus Medmannus Cons. Emdensis quum haberet iter in Germaniam, cognosseti vir optimus, optime erga me affectus quam difficili loco mea essent, receperat se Duysburgo transiturum, acturumque cum Magistratu vestro et vobiscum de meis necessitatibus, quibus prohibitus servare pacta, ut par erat atque ut maxime volebam non possem. Dederam eidem ad te literas quibus tuis proximis respondebam, satis prolixe exponens iustissimas causas consilij immutati. Sed (quae me res vehementer angit) ille noster patronus, cuius in hac mea causa plurimum authoritas valuisset, sive morbo, sive curis gravioribus retardatus, hactenus inire non potuit iter institutum. Itaque quod rem actam nunc transactamque speraveram cum pene sero intelligo in medio relictam esse. Restat igitur ut de integro meas rationes deputem, conductoque rursus nuntio, non sane quae vellem mi frater, sed quae opus est aperte vobis et breviter perscribam. Nisi satis praecepti consilium improvisa necessitas turbasset, nihil mihi fuerat optabilius in hoc exilio, quam isthic in urbe amoenissima non procul a patria, inter expectatos patriotas honesto loco esse, haec ego commoda quanti fecerim hinc sciri potest, quod homunculus imbecillis, nuper etiam uxoris subsidio destitutus, relictis in domo labefactata 20 contubernalibus dispendio ac labore gravissimo, tam longum isthuc iter perrepsi, non sane publicum aliquod munus in me recipere cogitans (quod ex primis meis literis constabit) sed extra dissidiorum tumultus in fructu veteris amicitiae nostrae collapsas vires quocunque modo reparaturus. Sed postquam ad id quod fuerat mihi vel imprimis optabile Magistratus me vester, vestro hortatu compulit. ipse me docuit eventus (qui aiunt stultorum Magistrum esse) flagitium fecisse me qui magis subito quodam animi motu, quam matura deliberatione prius ad novum onus meam fidem obstrinxerim, quam prospexissem quo consilio veteres (ut ita dicam) clitellas tempestiviter atque honeste possem excutere. Nam simulatque domum redij ad meos sodales et discipulos, quibus me iam annorum aliquot consuetudo devinxit comperi experiendo plerosque eorum nec ablegari sine contumelia, nec isthuc pertrahi posse cum parentum voluntate. feci periculum in tribus aut quatuor, sed tamen in nullo successit, imo vero quo magis in omnes formas me verti, ut me quoquo pacto expedirem, hoc me sensi tenacioribus vinculis constringi. Scio quod hic respondeas vir cordate. Nempe operam me pueris contubernalibus addixisse non locum. In aliquibus fortasse verum est, at interim satis constat in quaerendo pueris paedagogo parentes non stultos non minorem loci rationem haberemque Magistri. Meorum certe plerique magis Ecclesiae syncera consuetudine moventur, quam vel optima literarum institutione. Neque quisque est de mea emigratione vel coram vel per epistolam admonitus, qui hanc non primum quaestionem fecerit, qualis istic loci constitutio Ecclesiarum. Nam et qui Aemdae habitant Cagh-

octo

expossim.

autoritas